

Cum enim Normandos atque Britones hostes et invasores regni sui, quibus ipse debellatis percerat, lues ingruens extinxisset, Deo pro ipso pugnante: nuntio accepto de morte adversariorum pius imperator pugno pectus percussit, oculisque lacrymantibus Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus est, Baron. anno 836.

Quando igitur, auditores, vidistis, qui sint vestri proximi, nolite jam cum supercilioso legisperito quærere: *Et quis est meus proximus?* Cum enim hoc sciatis, superest, ut cum proximis vestris velut proximi vivatis.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

- I. Discunt principes et praelati: 1. Modestiam. 2. Pietatem. — II. Discunt magistratus alii: 1. Rationem corrigendi delinquentes. 2. Studium purgandi ditionem a latronibus. — III. Discunt clerici: 1. Curam habere animarum. 2. Liberalitatem erga indigos. — IV. Discunt litterati: 1. Non despiciere rudiores. 2. Docere et facere. — V. Discunt medici: 1. Sedulo mederi ægris. 2. Non accipere personam. — VI. Discunt divites: 1. Perfectam impendere misericordiam. 2. Non excludere facile aliquem ab elemosyna. — VII. Discunt Christiani cæteri: 1. Diligere Deum. 2. Et proximum.

THEMA.

Alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.
Luc. X.

Hodierna parabola, auditores, non obscure taxat nos concionatores, si visis auditorum defectibus et peccatis velimus præterire, nec medellam adhibere. Hoc enim dudum exprobravit Dominus ignavis Hebræorum pastoribus et per illos nobis Ezech. XXXIV. dicens: *Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis, et quod affectum est non reduxistis: et quod perierat non quæstistis.* Quare ne in hanc censuram ego quoque incidam, si sacerdotem et levitam imitatus fuero, Samaritani potius exemplum sequar, et si qui fuerint animæ vulneribus misere affecti, iis ego vinum et oleum, doctrinam inquam salutarem, infundere conabor. Scimus ex lib. IV. Regum, cap. IV. oleum ex imperio Elisæi fluxisse in domo viduæ, quamdiu vasa vacua præsto erant: ubi vasa defecerant, oleum stetit. Pari modo oleum salutaris doctrinæ in hodierno evangelio plurimum et redundans est, vacua tantum vasa requiro, mentes auditorum

a terrenis affectibus liberas atque exinanitas. Ego igitur oleum parabo, vos parate vasa.

I. Quid hic discunt principes ac praelati et quicumque in dignitate positi? Modestiam imprimis. Audiunt enim Christum modestissime, de se quidem suppressa tamen persona sua, loquentem: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Potuisset dicere optimo jure: *Beati qui me vident; vel beati vos qui me præsentem intuemini.* Noluit, ut modestiæ exemplum magnatibus præberet. Alibi etiam cum ad tuendam auctoritatem suam loqui aliquid debuit, fere in tertia persona enuntiabat, uti Matth. VIII. *Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.* Modestiam hanc imitati sunt præ cæteris Maximilianus I. imp. Austriacus, et Carolus V. ejus nepos; quorum ille pluribus ante mortem diebus nonnisi Maximilianus appellari voluit: hic vero, cum imperio se ultro abdicasset et in monasterio S. Justi abdidisset cum duodecim familiaribus, Deo et quieti vacaturus, interdixit aliter se quam Carolum nominari, Tymp. in spec. magist. fig. LXXVIII. Magis adhuc excellere in hac virtute episcopi et praelati deberent; nam ut ait S. Hieronymus, ep. III. ad Nepot. « Rex nolentibus præest, episcopus volentibus: illi terrore subjicit, hic servituti donatur; ille corpora custodit ad mortem, hic animas servat ad vitam: » et S. Basilius, reg. XLIII. « Morum mansuetudo (ait) et humilitas cordis, hæc præcipua antistitis signa sunt. Talis enim fuit Christus, quid dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* »

Secundo, pietatem et cultum Dei. Audiunt enim multos reges desiderasse videre et audire Christum ejusque facta et dicta; quod si eis obtigisset, summa gratia fuisset. Non desiderarunt illi dilatare fines ditionum suarum, non aliena occupare regna, non delicias et divitias, non honores et bonorum titulos, sed Christum videre, ejus vitam contemplari, ejus verba audire. Hoc illorum unicum votum et summum desiderium erat: cætera nihili aestimabant. Inter illos fuit Abraham, qui: *Exultavit ut videret diem ejus:* David qui dicebat: *Ostende faciem tuam et salvum erimus,* Psalm. LXXIX. Moyses, qui a Deo petit primo sibi faciem, deinde ostendi gloriam ejus, Exod. XXXIII. reges qui ab oriente ad Christi incunabula venerunt: Zacchæus et ipse princeps Publicanorum, qui ut videret Christum: *Præcurrens ascendit in arborem.* Hoc igitur est, quod præ omnibus desiderare principes debent, Christum videre per fidem et contemplationem vitæ ejus in hoc sæculo, per gloriam in altero; quemadmodum docuit Moyses, qui primam hanc petitionem Deo proposuit: *Ostende mihi faciem tuam,*

(Hebr. *viam tuam*) ut scilicet tu facie tua præcedas me in itinere deserti ad terram promissionis. Hac obtenta posuit illam alteram: *Ostende mihi gloriam tuam:* obtinet et hoc, cum audit: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Primum ergo principum desiderium et postulatum sit, videre Christum, viarum et actionum suarum ducem ac directorem in periculoso regiminis itinere: ut ne ab ejus præscripto et exemplo aliqua in re deviant; alterum, videre eum in gloria. Atque istud fuit, quod ardentem desideravit gloriosus imperator Constantinus Magnus: « Cum enim Deum quem pater ejus Constantinus sancte adoraverat, solum observandum colendumque statuisset, ejus opem precibus imploravit eumque obtestatus est, ut tum quisnam esset, illi vellet significare, tum ut dexteram suam negotiis propositis porrigeret. Cum ista precaretur et obnixè flagitaret, circa meridionalis solis horas, die jam in pomeridianum tempus paululum declinante, in cælo supra solem trophæum crucis, ex lucis splendore figuratum ac scripturam additam vidit, sic dicentem: *In hac vince.* Admiratio ingens ipsum et totum exercitum, qui eum quoque iter facientem comitabatur, atque adeo hujus prodigii spectato factus erat, incessit: atque diu multumque, quidnam ostentum illud sibi vellet, cogitantem oppressit nox. Ibi et dormienti Christus Dei cum signo in cælo monstrato visus est, præcipitque ut exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat, fabricato, eo tamquam presidio in præliis cum hostibus committendis uteretur. Hoc quia imperator fecit, ac (Dei sacerdotibus sibi tamquam assessoribus adscitis) Christum omni genere cultus et observantiæ venerari decrevit, Maxentium devicit et cæteris bellis, quæ deinceps gessit, par felicitas adfuit. » Ita describit Eusebius, l. I. vitæ Constan. c. XX. et seq. Idem imperator nihil magis voluit filiis suis commendatum, quam ut opibus omnibus adeoque ipsi imperio, Dei sanctæque religionis cultum anteponebant, Euseb. l. II. c. XXV.

II. Quid magistratus alii? Primo, rationem corrigendi delinquentes. Docet hanc Samaritanus qui vulneribus sauciati infudit vinum et oleum. Vinum mordet, oleum lenit; illud severitatem, hoc clementiam designat. Non ergo semper vinum, neque semper oleum, neque unum sine altero facile adhibendum, sed cum mixtura utriusque et nunc corripiendi errantes, nunc vero demulcendi. Pulchre hoc explicat D. Gregorius, lib. I. regist. ep. XXIV. et lib. II. VIII. mor. c. VIII. « Disciplina, inquit, vel misericordia multum desinitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos suos inesse rectoribus debet et juste consolans mise-

ricordia, et pie sæviens disciplina. Hinc est quod semivivi illius vulneribus qui a Samaritano in stabulum ductus est, et vinum adhibetur et oleum: ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtiois adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mudentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul ac manna est, quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga districtiois, sit et manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt; virga enim percuitur, et baculo sustentamur.* Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit et consolatio baculi, quæ sustentet. » Hæc Gregor. qui mox in exemplum adducit Moysen. Hic enim et oleum adhibuit, cum Deum populo iratum tenuit ac precibus placavit: et vinum adhibuit, cum postea in ultionem idololatriæ a populo admisæ, viginti tria millia hominum occidit, Exod. XXXII.

Secundo, studium purgandi vias publicas a furibus et latronibus, eosque a finibus suis arceudi. Hoc enim quia factum non est a magistratu Hebræorum, hinc via inter Jerosolimam et Jericho latrocinii infesta, adeoque infamis facta est, ut locus quidam inter jacens a frequentibus cædibus vocaretur *Adomim*, hoc est, locus sanguinum, teste S. Hieron. in epitaphio Paulæ, ad quem alludit Dominus in parab. hod. Quæ infamia certe redundabat in vicinas civitates, a quibus tolerabantur illa latrocinia: scelera enim quæ non plectit magistratus, facit sua. Unde M. Cato eos magistratus, qui maleficos pœnis non coercent: *Non tantum non ferendos dicebat, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnæ neglectu salus reip. labeferet,* inquit Plut. in ejus vita, recte namque dicitur: *Is qui parcit malis, nocet bonis.*

III. Quid hic discunt clerici? Curam animarum imprimis, ipsis enim dicitur, quod stabulario in hod. parabola: *Curam illius habe et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* Unde intelligemus, sacerdotes esse animarum medicos a Deo constitutos. Quare primo, sicut medicos curationi potius quam dominationi incumbit, ita sacerdotes animarum sanitatem, non suum dominatum quærant. « Sciunt boni fidelesque præpositi, inquit S. Bern. ser. XXV. in Cant. languentium sibi creditam curam animarum, non pompam: medicos se et non dominos agnoscent-

tes: parant confestim adversus phrenesim animæ non vindictam sed medicinam. » Deinde, sicut medicus omnium domos adit, omnium lectis assidet, omnium doloribus invigilat, omnium vulneribus medetur: ita pastor animarum nullum peccatorem deserat, et quo majori in periculo quis versatur, eo vigilantius ipsi adsit. Denique, sicut medicus si neglexerit ægrotum, quem juvare poterat, culpæ reus fit; ita: *Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt, inquit S. Isidorus, l. III. de summo bono: et S. Gregorius, hom. XI. in Ezech. Nos sacerdotes, tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepide et tacentes videmus.* Cæterum sicut: *Non est in medico semper relevetur ut æger;* ita neque in animarum pastore. Unus Dominus non dixit hospiti: *Cara vel sana illum, sed: Curam illius habe. Curam exigeris, non curationem,* inquit S. Bern. l. IV. de considerat.

Secundo, liberalitatem erga pauperes et miseros. Docet hanc Samaritanus, qui opem tulit misero in confusionem sacerdotis et levitæ, ut qui non tulerunt, sed viso eo præterierunt; atque ut indicat vox Græca a via deflexerunt, ne clamorem miseri audirent. Atqui hæc revera ingens sacerdotum ignominia est, in operibus misericordiæ vinci a sæcularibus. Cum enim ipsi de patrimonio Christi vivant, utique largiores in Christi pauperes esse debent: quorum est, quod ipsis superest. Unde S. Hier. in ep. ad Pammach. ait: *Pars sacrilegii est, res pauperum non dare pauperibus.* Audiant ipsi D. Gregor. in pastor. p. II. admon. XXIX. « Plerumque, inquit, actione sæcularium vita continentium confunditur, cum illi ultra habitum assumunt opera: et isti juxta ordinem proprium non excitant corda. Unde bene per prophetam dicitur, Isa. XXIII. Erubescite Sidon, ait mare. Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, ejus qui Deo dicatus et quasi munitus et stabilis cernitur, vita reprobat. »

IV. Quid litterati? Primo, non despiciere rudiores atque illiteratos. Audiunt enim in hodierno evangelio rudem Samaritanum sacerdoti et levitæ litteratis, nec obscure ipsi etiam legisperito præpositum fuisse; quod illi sua scientia contenti, charitatis et pietatis opera negligenter: hic vero scientia destitutus bonis operibus vacaret. Magnum quidem bonum est scientia, quod valde ad salutem promovet, sed respectu charitatis parum aut nihil est, teste apost. I. Cor. XIII. *Si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, charitatem autem non habuero,*

nihil sum. Licet gausape et multis vestibus induas cadaver, nequaquam tamen calefiet; quia calore intrinseco destitutum est: ita nisi in corde tuo ignis charitatis ardeat, parum tibi proderit quidquid exterius habueris auctoritatis et scientiæ. Hinc Cant. I. Spiritus s. ait Ecclesiæ: *Mureculas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cur non potius argenteas vermiculatas auro? Quia aurum charitatem, argentum notat scientiam, charitas fundamentum et basis est salutis, scientia non nisi ornamentum. Tunc ergo pulchra est scientia, cum juncta est charitati, eique velut basi innititur. Quid profuit scientia hodierno legisperito, qui scientia inflatus Christum tentare ausus est, quærens non quod disceret, sed quod in ipso argueret; in studio etiam honorum operum, charitatis et pietatis tam rudis atque imperitus fuit, ut nesciret quis esset ejus proximus? « Ut sol mense decembri, inquit Hector Pintus, in c. XX. Ezech. et si eos illuminet, qui Norvegiam, regionem septentrionalem incolunt, non tamen illos calefacit: sic scientia multos, quos instruit quid sit faciendum, non continuo ad faciendum accendit eos attingit ad sciendum, non ad operandum. »

Secundo, docere alios humaniter, et facere quod docent. Utrumque documentum tradit nobis Christus. Primum, quia legisperitum, quem velut tentatorem ac criticum jure poterat increpare, suaviter et modeste monet atque instruit longa et salutifera parabola; congerens carbones super caput ejus, ut amoris igne eum accendat. Sic Jeremias, cap. XX. licet a Judæis derisus, jubetur tamen a Deo iis concionari. Quare etiam paucis, necnon obtrektoribus aut illusoribus doctrina salutis impendenda est. Plato uno Aristotele discipulo contentus, cæteris omnibus absentibus, docebat dicens: *Auditorium est.* Alterum tradit, cum legisperitum remittit ad actionem: *Hoc fac et vives:* rursus: *Vade et tu fac similiter.* Intellexerat legisperitus, quid in lege requireretur ad consequendam vitam æternam, rursusque quis esset proximus hominis derelicti: sed ipsius scientiæ opera non responderant. Non sine mysterio dicuntur, Num. XXXIII. filii Israel exisse de Ægypto: *In manu Moysis et Aaronis,* quia, ut advertit Origenes, hom. XXVII. *Utraque manus necessaria est, ut inveniantur in nobis non solum fidei et legis cognitio, sed etiam actuum operumque perfectio.* Hebræorum magnates in murorum Jerosolymitanorum instauratione, una manu faciebant opus, altera tenebant gladium, quo, si opus foret, se defenderent contra hostes, Neh. I. Hunc in modum eruditi et doctores una manu doceant, altera quod docent faciant. Divinus ille Hebræorum

doctor, Elias, ab Elisæo discipulo appellatur currus et auriga Israelis, IV. Reg. II. quia ut auriga legem Israelitas docebat: ut currus eandem humeris suis ferebat ac servabat. Hujusmodi currus et auriga nosfer Samaritanus, quia saucium illum et imposuit in jumentum suum et duxit in diversorium.

V. Quid medici? Primo, magna cum prudentia parique cum industria medelam infirmis adhibere. Audiunt enim Samaritanum quasi ex præscripto medicinæ congruum medicamentum vulnerato applicuisse, duos inquam liquores corpori humano gratissimos, vinum et oleum. Deinde, ejus curam non alteri demandasse, sed propriis manibus vulnera palpasse et alligasse, imo et obligatum sustulisse in jumentum suum. Discunt ergo medici caute et prudenter præscribere medicinam, deinde si fieri potest, accedere ad ægrotos, sine mora et fastidio querelas eorum audire, sordes tolerare, ulcera abstergere, etc. si cœlestem nostrum Samaritanum, Christum, maximo suo merito et gloria imitari velint.

Secundo, non accipere in medendo personam, nec semper lucrum temporarium speculare. Etenim homo ille, qui incidit in latrones, omnium sententia fuit homo Judæus, hostis et contemptor Samaritanorum, deinde fuit pauper omnibus suis bonis spoliatus atque exutus, ab omnibus derelictus, et tamen nihilominus tam gnave et tam prompte Samaritanus ei succurrit, ac si fuisset ei amicissimus aut quispiam ditissimus. Norint ergo medici lege charitatis sese obligari etiam inimicis et pauperibus.

VI. Quid divites? Primo, opera misericordiæ non qualitercumque sed perfecte impendere egentibus. Etenim Samaritanus non interpellatus, viso tantum saucio, misertus est illius. Sufficiat ergo divitibus videre vel scire miserorum calamitatem: sufficiant illis lacrymæ viduarum, gemitus afflictorum, livida et collapsa facies esurientium. Deinde, non excusavit se, quod miser ille esset alienigena, quod a sacerdote et levita neglectus, quod forte desperatus. Ita etiam tu: *Ne dixeris,* inquit S. Chrys. orat. V. contra Judæos, homo sum mundanus, uxorem et liberos habeo, ista sacerdotum sunt, ista monachorum. Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat. Ubi nunc sacerdotes? Ubi Pharisei? Ubi Judæorum doctores? Sed perinde quasi venafum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur, cum videris aliquem egentem curatione vel corporis vel animi, ne dicitis apud teipsum: *Quare ille et ille eum non curaverunt?* Sed a morbo libera. Si inveneris aurum jacens, non dicis apud teipsum: *Quare ille aut*

ille hoc non sustulerunt? Sed festinas ante alios rapere, etc. » Denique, solerter homini servivit, plagas fovit et obligavit, ægrum jumento imposuit, in hospitium deduxit, hospiti commendavit, pro eo solvere spondit. Ne ergo parcus sis erga pauperes, ne porrigas viliora et inutilia. Quid enim prodest ægro fragmen panis induratum, quod vix cani dares? Ne relinquant eos in plateis, sed: *Egenos vagosque induc in domum tuam,* Isa. LVIII.

Secundo, non excludere facile aliquem ab elemosyna: etenim Samaritanus, uti diximus, etiam gentis suæ inimico exhibuit misericordiam. Non ergo attendendum cujus nationis, sexus, status et conditionis sit, qui ope nostra indiget, omnibus tribuendum, etiamsi de nobis male locuti et inimici sint. Justitiæ officium est inquirere in hominum merita: misericordiæ vero non item, sed condolare et subvenire miseris.

VII. Quid Christiani cæteri? Primo, diligere Deum ex toto corde seu super omnia, ita ut nihil æque ac ipsum, multo minus supra ipsum, sed omnia infra et in ordine ad ipsum diligant quia sicut juxta arcam non poterat stare Dagon: (I. Reg. V.) ita cum amore creaturarum indicato nequit stare amor Dei. Stat quidem cum amore creaturarum, quas infra Deum amamus, licet non in ordine ad ipsum amemus sed hoc veniale saltem peccatum continet. Itaque bonus Christianus ex toto corde, hoc est, toto cordis affectu, nihilque nisi in ordine ad Deum studeat amare. Dicat cum Moyse Pharaoni, mundo inquam et diabolo, penitenti ut vel ex parte amorem ei nostrum impendamus: *Cuncti greges ibunt nobiscum, non remanebit ex eis ungula: quæ necessaria sunt in cultum Dei nostri.*

Secundo, diligere etiam proximum quemque et neminem aversari. Putabat legisperitus non diligendos Samaritanos, velut hostes Judæorum; unde nec vocabulum *Samaritani* pronuntiare voluit; et tamen in proposita parabola confiteri coactus est, Samaritanum revera proximum fuisse Judæo semimortuo, quia opem tulit. Itaque sæpe numero plus prosunt nobis inimici quam amici; quia isti plerumque vulnera nostra tegunt, illi vero produnt, ut ea noscamus atque emendemus, proinde e proximorum numero nemo excludendus est, qui tua opera indigeat. Dives es? Proximus tuus pauper est. Sapiens et ingenio præditus es? Ignorantem habes socium. Corporis robore vales? Memento ægrotantem tuum esse proximum. Læteris in rebus prosperis? Recordare tristem et afflictum vinculo charitatis tibi conjunctum esse. Quapropter tuam pecuniam, scientiam et valetudinem, prosperitatem partie

cum proximo, et noli postea quærere: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Hoc fac, et vives.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Quis parabolæ sensus litteralis? — II. Quis sensus parabolæ allegoricus? — III. Quis sensus tropologicus?

THEMA.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Luc. X.

Beati erant apostoli, qui viderunt Christum; non invidemus illis; beati et nos Christiani. Viderunt illi Christum in forma servi præsentem, prædicantem, miracula patrantem. Videmus illum et nos; præsentem in eucharistia, quamvis in aliena, panis et vini specie: prædicantem in doctoribus suis: patrantem mira in sacramentis et sæpe in sanctis suis. Quare si beati apostoli, qui viderunt hæc corporeis oculis: beatiore nos, qui cum non videamus, credimus. Alia etiam ex parte beatiore nos apostolis jure dici possumus. Primo, quia videmus Ecclesiam firmatam supra petram per annos 1600. firmiter constitisse et de hæresibus omnibus triumphasse, totoque orbe diffusam esse. Secundo, quia nunc videmus ordinem et decorem Ecclesiæ, velut acie castrorum instructæ, longe splendidiorem. Tertio, quia fidei lumen longe majus est hoc tempore; utpote tot libris et Conciliis explicatæ, tot miraculis firmatæ, tot modis inculcatæ, ita ut nunc pueri et puellæ norint, quæ olim multi reges et prophætæ non noverunt. Exemplo nobis sit parabola hodierni evangelii, quam tempore Christi Domini paucissimi intellexerunt, nunc paucissimi ignorant in quorum gratiam lumen aliquod lippientibus accendimus.

I. Quis sensus hujus parabolæ litteralis? Resp. præcipuum quidem Christi institutum esse, ostendere proximum non concludi intra gentem Judaicam, sed unumquemque hominum debere proximum censi; interim tamen data hac occasione, plura velle docere quam quærebat legisperitus. Nam ad reprimendam Judæorum elationem, qui de pietate ac religione gloriabantur, ita ut Samaritanos velut impios aspernarentur, notat illos in vera pietate et proximi dilectione Samaritanis etiam inferiores esse.

Rursum quoniam Scribis major erat cura intelligendi quam custodiendi legem, ideo docet hæc parabola non solum quis censendus esset proximus, sed quomodo etiam diligendus. Unde

ad finem evangelii hortatur hunc Scribam ad imitandum Samaritani exemplum: *Vade et tu fac similiter.*

Igitur ut hæc doceat, introducit hominem, quem primo, ait descendisse ab Jerusalem in Jericho, quod ea via celeberrima esset; incidisse vero in latrones, quod is locus, qui interjacet inter utramque civitatem, latronibus infestus et iafamis fuerit ob frequentia latrocinia. Descendisse dicitur, quia Jerosolyma in editiore loco erat.

Secundo, ait, sacerdotem et levitam juxta saucium pertransisse (Græce *ex adverso præterisse*, q. d. studio ab ipso deflexisse) ut notet Hebræorum primarios et pastores, quorum imprimis viscera commoveri super homine tam misero deberent; deinde, ut insinuet parum Deo placuisse legalia Hebræorum sacrificia, qui dilectionis proximi et misericordiæ oblivisceretur: adeoque majorem et solidiorem pietatem consistere in operibus charitatis, quam in sacrificiis illis legalibus, de quibus Judæi gloriabantur.

Tertio, Samaritanum quemdam iter fecisse et viso eo misericordia motum appropriasse, vulneribus ejus vinum et oleum infudisse, eaque obligasse, post impositum jumento suo duxisse in stabulum, hæc est, commune diversorium, curamque ejus egissæ, necnon data pecunia hospiti eum commendasse; ut de his tam multis charitatis operibus commendet Samaritanum, hominem alienigenam, Dei veri cognitione destitutum, Judæis contemptum: omnia interim misericordiæ opera Judæoque hosti impendentem. Porro vinum et oleum dicitur infudisse ejus vulneribus, quasi ex præscripto medicinæ: vinum ad abluendam, abstergendam et consolidandam plagam: oleum ad leniendum, doloremque mitigandum.

Quarto, interrogasse ait legisperitum, quis illorum trium proximum fuisset misero ut ostendat tantam esse veritatis vim, ut etiam ab improbis et illusoribus suffragium accipiat. Itaque respondet legisperitus, Samaritanum fuisse miseri proximum, idque approbat Dominus, non quod velit negare sacerdotem et levitam non fuisse ejus proximos, sed quod non gesserint se ut proximi ejus; siquidem ope sua eum destituerunt. Neque etiam vult dicere, illum tantum pro nostro proximo habendum, qui nobis benefacit: sed omnem illum, qui ope nostra indiget, quicumque ille sit.

II. Quis est sensus parabolæ allegoricus? Resp. hæc parabolam describere statum hominis triplicem: primo, constituti in gratia et justitia originali: secundo, lapsi in peccatum: tertio,

reparati per Christum. Itaque homo ille est Adam cum tota sua progenie, qui primo, a Dei gratia, velut a Jerusalem (quæ visionem pacis est felicissimum justitiæ originalis statum, habitum in paradiso denotat) et ab illo sublimes innocentie culmine descendit in humilem et vilem peccati conditionem veluti in Jericho, quæ lunam significat, adeoque stultitiam juxta id Eccl. c. XXVII. *Stultus ut luna mutatur*, nemo enim peccatore stultior. Amissa igitur pace conscientie decidit in perturbationem et inquietudinem mentis; a summa dignitate filiorum Dei descendit in exilium Jerichuntinum anathemati subjectum (quod de Jericho, legimus, Jos. VI.)

Secundo: *Incidit in latrones*, qui sunt cacodæmones, dieti quasi laterones, quia a latere nobis adsunt insidiando semper; vel a latendo, quia transfigurant se in angelos lucis, qui in cælo Deum gloria sua spoliare conati sunt. Hi ergo primo, *despoliaverunt eum*, non externis quidem, sed internis animæ vestibus, tunica fidei, fascia spei, interula charitatis, cingulo castitatis, inauribus obedientie, armillis honorum operum, pallio patientie, toga immortalitatis. Deinde, *vulneraverunt eum* ignorantia veri, imbecillitate ad bonum, pronitate ad malum, omnis denique generis peccatis, superbia in capite, impudentia in fronte, invidentia in oculis, curiositate in auribus, maledicentia in ore, impatientia in humeris, tristitia in pectore, gula in ventre, libidine in renibus, pigritia in pedibus, avaritia in manibus, ita ut posset de eo dici: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*, Isa. I. Denique, *abierunt semivivo relicto*, sive quia secundum corpus quidem vivus, secundum animam vero mortuus erat: sive quia liberum quidem arbitrium habebat, a peccatis tamen resurgere viribus propriis non poterat: vel quia graviter quidem vulneratus, nondum tamen omnino desperatus erat; utpote a cælesti medico suo tempore sanandus.

Tertio, juxta eum præterierunt sacerdos et levita. Primo, quia vetus sacerdotium et lex nihil sanitatis afferre ei poterant; tametsi eum quidem viderunt, agnoscendo lapsum naturæ et infirmitatem hominis. Omnes enim descendunt eadem via a statu naturæ integræ in statum naturæ lapsæ, a gratia in peccatum, saltem originale. Secundo, quia sacerdotes et doctores veteris legis suis potius rebus et commodis studuerunt, quam salutem aliorum.

Quarto: *Samaritanus quidem iter faciens venit secus eum*. Iste est Christus Dominus, Samaritanus, quia custos; qui de cælesti quidem Jerosolyma venit in hæc Jericho, mundum inquam

peccatoribus plenum et a Deo anathematizatum; non tamen descendisse sed iter fecisse dicitur, quia longe alio modo et fine descendit, quam Adam e paradiso in exilium. Venit enim salvum facere quod perierat. Visa ergo miseria Adami, appropriavit ei induendo carnem humanam: infudit in ejus vulnera oleum et vinum, hoc est, gratiam Spiritus sancti et pretiosum sanguinem suum; seu etiam sacramenta, quæ fere oleo et vino conficiuntur. Alligavit vulnera ejus, præscribendo legem novam. Lex enim a ligando dicta; quia hominem constringit et alligat æquitati ac virtuti. Imposuit eum in jumentum suum, dum: *Ipse peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*, I. Pet. II. ac de suo dependit, luens in corpore suo, quod nos commerueramus: vel cum nos membra sua effecit suorumque meritorum et mysticæ corporis participes. Discedens demum et in cælum reversurus duxit eum in stabulum, hoc est, Ecclesiæ diversorium, et commendavit stabulario seu hospiti, Petro et cuivis summo pontifici velut Ecclesiæ gubernatori, curamque ejus egit, præsens quidem usque ad diem ascensionis suæ, absens vero usque ad consummationem sæculi. Duos denarios dedit stabulario, cum Petro ejusque successoribus dedit potestatem ligandi et solvendi vel intelligentiam novi ac veteris testamenti: vel Dei verbum et sacramentum vel duo illa præcepta, dilectionis Dei et proximi. Monuit stabularium ut curam ejus haberet, cum dixit Petro post resurrectionem: *Pasce oves meas*, Joan ult. daturus ei largam mercedem, si de suo studio et labore aliquid ei impenderet, in die retributionis et reversionis Christi ad judicium. Cum enim stabularius et quilibet operarius bonus dicere ei poterit: Domine, duos denarios tradidisti mihi, ecce alios duos superrogavi, audiet a Domino: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui*.

III. Quis est sensus tropologicus seu moralis? Resp. primo, homo iste quivis pauper est, humilis, abjectus, infirmus et quicumque indiget alterius ope. Hic ergo primo, dicitur *homo quidam*, quia solus et derelictus peregrinatus est. Divites cum in morbum aliamque calamitatem incidunt, habent medicos, consolatores, opitulatores, moriones, qui eis tristitiam eximunt, doloremque mitigant; pauper neminem habet.

Secundo: *Descendit ab Jerusalem in Jericho*, a divitiis in paupertatem, a felicitate in calamitatem et volubilitatem lunæ seu fortunæ mutationem, in paupertate et angustia, in mensa vacua, in lecto ligneo vel stramineo volvitur ac revolvitur. Ut enim pondera horologii semper agitant